Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26088
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Quid aliud dicam, quid aliud commemorem? Quando passus est
quando mortuus est, omnes discipuli desperaverunt quod ipse esset Christus.
A latrone apostoli victi sunt, qui tunc credidit quando illi defecerunt. Vi
de membra eius desperantia. Attende duos illos quos post resurrectio
nem invenit in via colloquentes secum, quorum erat unus Cleopas,
quando detinebantur oculi eorum ne agnoscerent eum. Quomodo enim
oculis agnoscerent, a quo mente titubaverant? Factum erat
aliquid in oculis ipsorum simile menti ipsorum. Loquebantur inter
se, et dum ab eo compellarentur unde loquerentur, responderunt:
Tu solus peregrinaris in Ierusalem et nescis quae facta sunt? Quomodo Ihesus
[nazarenus] potens in factis et dictis occisus est a senioribus et principibus
sacerdotum? Et nos sperabamus quod ipse erat redempturus
Israel. Speraverant et non sperabant, defecerunt oculi eorum ab spe
rando in deum ipsorum. Ipsos quoque transfiguravit in se dicendo:
Defecerunt oculi mei ab sperando in deum meum. Hanc spem
reddidit, quando cicatrices palpandas obtulit. Quas cum
tetigisset Thomas rediit ad spem quam perdiderat, et ex
clamavit: Dominus meus et deus meus. Defecerunt oculi tui ab spe
rando in deum tuum, palpasti cicatrices et invenisti deum tuum,
palpasti formam servi et cognovisti deum tuum. Cui tamen
ipse dominus ait: Quia vidisti me credidisti. Et nos prenunti
ans voce misericordiae suae: Beati inquit qui non vident et credunt.
Defecerunt oculi mei ab sperando in deum meum. Multi
plicati sunt super capillos capitis mei qui oderunt me gratis.
Quam multiplicati? Ut adderent sibi et unum ex duodecim.
Multiplicati sunt super capillos capitis mei qui oderunt me
gratis. Capillis capitis sui comparavit inimicos suos.
Merito rasi sunt, quando in loco Calvariae crucifixus est.